



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Dispytatio XLIII. De causis Prædestinationis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

DISPUTATIO XLIII.

De causis Prædestinationis.

CAUSA nostra Prædestinationis efficiens est Deus, utpote qui nobis & gloriam vult, & media ad illam obtinendam confert. Sermo autem hic præcipuè est de causâ meritoria, quænam scilicet Prædestinationem nostram, vel de facto meritis sit, vel mereri possit. Quoad hoc verò perinde est, si de Prædestinatione objectivâ loquamur, ipsis videlicet bonis nobis præparatis, si de formali, voluntate scilicet Dei, quâ hæc bona nobis & beneficia parat; ut latius ostendi supra, Disp. 40. sect. 2. num. septimo.

Hic maxime loquimur de causâ meritoria

SECTIO PRIMA.

Positne quis sibi, vel alteri esse causa meritoria Prædestinationis.

I. Nullus sibi esse potest causa meritoria totius prædestinationis.



Dico primò: Nullus potest sibi esse causa meritoria totius Prædestinationis. Ratio est: nam, ut Disput. præcedente, Sect. 3. dixi, nullus sibi mereri potest primam gratiam, seu vocationem; hanc enim si mereretur, id per opus merè naturale faceret, & puras naturæ vires, cum quicquid primam gratiam antecedit, nequeat esse ex gratiâ.

II. Sicut nequis quis vitam naturalem primò producere physice, ita nec vitam supernaturalem merito.

Licet ergo, positâ primâ gratiâ & vocatione, possit quis, ut ibidem dixi, mereri diversas partes suæ prædestinationis, vel de condigno, vel de congruo, ut gratiam habitualem & illius augmentum, ac tandem gloriam; primam tamen gratiam, quæ est initium vitæ spiritualis seu supernaturalis, non magis mereri potest, quam vitam suam naturalem primò producere physice: sicut enim vita supponi debet ad omnem operationem vitalem, ita & gratia ad omnem meritoriam.

III. Per que opera subsequenter possit, per que non possit quis mereri primam gratiam.

Dices: quidni mereri possit quis primam gratiam per opera eam sequentia? Contrâ: vel enim est sermo de operibus infusionem gratiæ solo tempore, vel etiam naturâ subsequentibus: si de primis, nil vetat aliquem per opera tempore subsequentia mereri sibi primam gratiam pro aliquo tempore antecedente, hodie exempli causâ pro aliquo instante anni præteriti, modò gratia per quam eam jam meretur, sit ab illâ independens: sic Christus gratiam meruit antiquis Patribus, ipsisque adeo primis parentibus, saltem reparatam. Unde & hoc modo mereri sibi quis potest vitam ipsam corporalem pro aliquo tempore præcedente, ut scilicet vixerit ante viginti annos, ita tamen ut vita hodierna ab illâ, quam meretur, non dependeat.

IV. Operâ primâ gratiam naturâ subsequentibus, seu quæ ab illâ mediatè vel immediatè oriuntur per eandem seriem, non magis potest ullum opus, ex iis quæ hoc modo subsequentur, illam primò dandam mereri, quam effectus physicus primò producere suam causam. Nam, ut jam sæpius dictum est, cum merita non moveant nisi ut existentia,

R.P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. I.

vel saltem prævisa ut absolutè, in aliquâ temporis differentiâ exitura, si moveant Dei voluntatem ad vocationem simpliciter dandam, prius habere suam existentiam debent, quam prima gratia, seu vocatione existat; ergo ab illâ accipere existentiam suam nequeunt, ut per se videtur manifestum, & latius ostendi Disput. præcedente, sect. tertiâ.

Hinc S. Augustinus de Gratiâ & libero arbitrio, ex hoc fundamento, quòd scilicet principium meriti non possit cadere sub meritum, semper probat primam vocationem, quæ est principium omnis meriti in nobis, gratis dari debere, & sine meritis, & quamvis possit homo ei jam datæ cooperari, nullâ tamen ratione præstare posse ut vocetur. Quæ nihilominus probatio inefficax esset, si cum quis mereri possit per opera ipsam subsequentia, quæ ab illâ procedunt.

V.

Ostenditur ex S. Augustino primâ gratiam non posse obtineri per merita eam subsequentia.

Hoc idem ostenditur ex Concilio Tridentino, Sess. 6. cap. 8. ubi probat ideo homines justificari gratis, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, justificationis gratiam promerentur; quæ tamen argumentatio nullam haberet vim, si aliquid, quod eam sequitur, possit illam mereri. Nemo itaque mereri sibi potest primam vocationem, & consequenter neque esse causa meritoria totius suæ prædestinationis.

VI.

Idem ulterius declaratur ex Concilio Tridentino.

Dico tamen secundò nullam apparere repugnantiam, quò minus possit quis alteri totam prædestinationem, saltem de congruo, mereri. Ratio est, nullum quippe ex eo sequitur incommòdum, eaque omnia, quæ ad probandum non posse quemquam sibi totam prædestinationem mereri allata sunt, hæc cessant; quamvis enim non possit sibi mereri primam vocationem, cum principium meriti cadere nequeat sub meritum, quid tamen vetat, quò minus eam mereatur alteri. Neque etiam excedit vires meriti puræ creaturæ, ut alteri de congruo mereatur primam gratiam, seu auxiliium supernaturale; imò, ut multi autumant, perseverantiam. Sic S. Stephani oratio, S. Pauli, lachrymæ S. Monicæ, Divi Augustini conversio nis causa fuit.

VII.

Potest quis alteri mereri, totam seriem prædestinationis.

Vires puræ creaturæ non excedit mereri alteri prædestinationem.

SECTIO SECUNDA.

Quo pacto Christus causa fuerit nostræ Prædestinationis.

I. *Christus esse potest causa meritoria totius serie nostræ Prædestinationis.*

P R I M A Conclusio: ex dictis præcedente Sectione constat à fortiori posse Christum esse causam meritoriam totius nostræ Prædestinationis, si per Prædestinationem nostram non intelligatur aliud, quàm series beneficiorum supernaturalium, nobis inexistentium, ut est gratia primæ vocationis, justificatio, perseverantia, &c. imò licet in Prædestinatione involvantur etiam occasiones externæ, ut prædicatio fidei, miracula, & alia huiusmodi. Si verò in serie Prædestinationis, tanquam illius partem includi quis velit Incarnationem ipsam, & opera ac merita Christi, sic mereri nobis Christus nequit totam nostram Prædestinationem.

II. *De facto Christus nobis meruit totam nostram Prædestinationem.*

Secunda Conclusio: Christus de facto nobis meruit totam nostram Prædestinationem, primo modo acceptam: ita Suarez de Incarn. Disp. 4. l. f. 2. Vsq. ibid. Disp. 77. & alii communiter, contra Capreolum, & alios nonnullos dicentes sub Christi meritum non cadere primam vocationem, seu dispositionem ad gratiam.

III. *Cur quidam negit Christum esse causam nostræ Prædestinationis.*

Docet ergo Capreolus, & alii quidam, licet mereatur Christus ut vocati, credentes, contriti, baptizati, &c. recipiant gratiam, non tamen ut vocentur, credant, &c. Ratio eorum est primò, alioqui enim, inquit, gratia jam non esset gratia, cum Christus eam meruerit ex iustitiâ, & consequenter non est gratia, sed debitum. Secundò, quia quòd hi credant, baptizentur, &c. potius quàm alii, pendet ex mero Dei prædestinantis beneplacito, *In quo forte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis sue.*

IV. *Christus ipse etiam dispositiones ad justificationem nobis meruit.*

Sed hanc sententiam in Scholis audiendam non esse affirmat Suarez citatus, tum ob illud ad Ephesios 1. vers. 3. *Benedixit nos in omni benedictione spirituali in caelestibus in Christo;* Ergo non justificationem tantum, sed dispositiones etiam ad justificationem habemus per Christum: tum ob alia Scripturæ testimonia, ubi hoc passim traditur. Concilium etiam Tridentinum id videtur satis aperte declarasse Sess. 6. cap. 5. his verbis: *Declarat præterea, ipsius justificationis exordium in adultis à Dei per Christum IESVM præveniente gratiâ sumendum esse;* hoc est ab ejus vocatione, &c.

V. *Uterius ostenditur Christum nobis meruisse totam prædestinationem.*

Cum ergo Christus sit perfectissimè Redemptor, ejusque merita valoris fuerint simpliciter infiniti, & apta ad longè majora nobis præmia promerenda, non est cur hanc ei gloriam quis neget, ut totius serie justificationis causa nobis fuerit & auctor, nihilque omnino sit in ordine gratiæ, quod illi acceptum non referamus, si sine incommodo id fieri possit; posse autem constabit ex argumentorum, quæ à contrariæ sententiæ Auctoribus afferuntur, solutione: quæ planè levia sunt ad tantà Christum gloriâ privandum.

VI. *Dispositio illa ad justificationem, Christo erant debita, non nobis gratis.*

Ad primum ergo ex iis, quæ num. 3. proponerentur, Respondetur: etsi auxilia illa & dispositiones ad gratiam Christo debeantur ex iustitiâ, nobis tamen dantur gratis, id est sine ullo merito nostro, & hoc sensu dicit Apostolus ad Roman. 3. vers. 24. nos justificari gratis per gratiam ipsius, ut etiam affirmat Concilium Tridentinum Sess. 6. c. 8. Quando ergo S. Augustinus libro de Prædestin.

Sanctorum, cap. 5. asserit, tam gratis justificari hominem, quàm gratis Deus factus est homo, intelligendus est, tam ex nullo merito suo dari gratiam peccatori, quàm ex nullo merito humanitatis Christi data ei est gratia unionis.

Ad secundum, eodem numero 3. propositum, dico, licet asseremus nostram præ aliis electionem in Christum, sua his potius quàm illis merita efficaciter applicantem, esse refundendam; hoc tamen non obstante, quòd hic præ illo eligatur, tribui potest Deo prædestinanti, utpote qui voluntatem Christi creatam moverit, ut hos potius, quàm illos eligendos designaret, iisque merita ad hunc finem peculiariter applicaret: & hoc abundè sufficit ad solutionem argumenti: sicut & ad illud, quod obijciunt aliqui, hinc nimirum sequi totam prædestinationem refundi in humanam voluntatem Christi.

Utrum autem Christus determinatè pro his in particulari merita sua applicaverit, ut prædestinentur, est alterius loci, spectatque ad materiam de Incarnatione: hic tamen obiter diversos variorum, variè hac de re sententiarum dicendi modos referam, & postea quid verisimilius videatur aperiam.

SECTIO TERTIA.

Varii dicendi modi circa Prædestinationem ex meritis Christi.

P A T E R Herice hæc Disp. 29. cap. 3. P. Alarcon l. p. tract. 4. Disp. 3. cap. 5. num. 7. P. Arriaga hæc, Disp. 37. sect. 5. & alii affirmant Christum determinatè hos potius quàm alios elegisse, iisque in particulari sua merita applicuisse. Hoc inprimis probat P. Herice ex iis Scripturæ locis, in quibus asseritur omnia in Christi manus tradita esse. Sic Joan. 13. v. 3. dicitur: *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus.* Item Matth. 11. v. 27. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Per omnia autem S. Chrysostomus & Theophylactus intelligunt, omnia spectantia ad hominum salutem. Unde cum Matth. 28. v. 18. dixisset Christus: *Data est mihi omnis potestas in caelo & in terrâ,* statim subjunxit: *Euntes ergo docete omnes gentes &c.* ut indicaret hanc potestatem præcipuè spectare ad hominum salutem: at verò in negotio salutis nihil tanti momenti est, ac electio prædestinatorum; ergo hæc peculiariter à Patre est Christo permessa: nisi enim hoc ipsi fuisset concessum, sed sibi id Pater reservasset, omnis in hoc genere potestas Christo data non fuisset.

Quòd autem in his locis Christus de se loquatur, non ut Deo, sed ut homine, constat: primò enim dicit sibi datam esse potestatem, omnia tradita esse &c. ut autem Deus est, à nemine hæc ei dari aut tradi possunt. Deinde inter se & Patrem hac in re distinguit; ut Deus autem idem est cum Patre. Ego certè, quòd minus hoc fieri possit, prædestinatiq; hac ratione à Christo eligi, non video: cum ergo ad gloriam Christi Redemptoris nostri pertineat, & ex Scripturæ testimoniis jam adductis suaderi videatur, puto hanc sententiam esse valde probabilem. Quid autem hac de re sentiam, dicam infra, num. septimo.

Id tamen notandum, dum dicitur Christum fuisse causam cur hi prædestinentur, non sequi eum esse causam exclusionis aliorum; nec enim merendo ut

VII. *Licet dicatur Christum meritum esse, ut hi potius eligerentur, quàm illi, electio tamen tribui possit Deo.*

VIII. *Prædictio non est determinatè.*

I. *Prima sententia est, Christum hos determinatè elegisse.*

Omnia ad salutem ipsorum dantur, sicut Christi à Patre tradita.

II. *Ad Christum ut hominem spectat hæc potestas eligendi prædestinatos.*

III. *Christus non est eligendo potestatis causa, cum alii non eligantur.*

his daretur gratia congrua, merebatur ut aliis non daretur. Hoc tamen sufficit ad electionem, etiam quâ electio est, seu preferendum unum alteri; ad hoc enim sufficit, quod speciale hunc favorem præferat uni, quem non præferat alteri. Et quoad hoc idem est si electio fiat à Deo; nec enim unum eligendo, vult positivè excludere alium; nec volendo hunc salvare, vult alium damnare: sed paratus est illi salvare, si data sibi gratiæ velit cooperari.

IV. *Secunda sententia affirmat Christum electionem prædestinationem reliquisse Patri.*

Alii Christum aiunt merita sua, & pretium sanguinis indiscriminatim Deo pro omnibus obtulisse; determinationem autem in particulari, seu electionem horum potius quàm aliorum ad gratiam congruam, vel gloriam, Patri æterno reliquisse: ita Molina hic, quasit. 23. art. 4. Disp. 2. Suarez to. 1. in 3. p. disp. 41. sect. 4. & hic lib. 2. cap. 24. num. 12. & 21. Tannerus 1. p. disp. 3. q. 4. dub. 2. num. 10. & alii.

V. *Prædicta sententia magis explicatur.*

Dicunt ergo hi Auctores Christum, dum adhuc in terris ageret, sua merita pro hominum salutè obtulisse, eaque omnibus generatim applicuisse, ex quo factum est, inquit, ut Deus nullam omnino gratiam dederit, nisi intuitu meritorum Christi. Specialiter tamen aiunt Christum gratiam efficacem his potius quàm illis non petuisse. Et, ut verum fatear, plus quàm hoc ex Scripturis efficaciter probari non potest: nullus enim est locus in quo Christus orasse dicitur pro solis prædestinatis, idque ut gratiam efficacem reciperent: unde videmus orationem in cruce, quæ tamen omnium videtur efficacissima, Centurioni fuisse efficacem, non aliis multis, pro quibus tamen unà cum illo facta à Christo fuerat ad Patrem. Preces verò illæ Joan. 17. à Christo factæ, non ad solos Apostolos, aut etiam solos prædestinatos spectabant; sed ad omnes fideles, ut patet ex versu 20. quibus unionem inter sese & concordiam postulavit, atque etiam perseverantiam; non tamen omnibus petiit gratiam ad hæc efficacem, cum omnes eam per Christi merita non obtinuerint.

VI. *Hæc sententia non ostendit peculiarem affectum Christi erga electos.*

Hic etiam dicendi modus est probabilis: solum in eo non salvatur quo patet Christus majorem amorem ostenderit erga electos, quàm erga reprobos, nec quod illi magis sint ei obstricti, quàm isti: affectus quippe ejus, ut aiunt, erga omnes est æqualis: effectum autem licet prædestinati plus accipiant, id tamen Christo juxta hanc sententiam est per accidens; neque enim, ut docent hi Auctores, hoc Christus intendebat, sed totum Patri permisit. Sicut si dives quispiam ingentem vim pecuniæ reliquisset ad redemptionem captivorum, nullos in particulari designando, sed hoc integrè relinquendo voluntati alterius: quod hi potius quàm illi redimantur, non huic diviti, sed alteri, qui istos in particulari determinavit, acceptum referre debent: imò illi qui non sunt redempti, æqualiter ei sunt obstricti, cum quantum in ipso erat, æquè eos redemerit, ac alios.

Resista ex- plo ab hu- manis de- sumpto de- claratur.

Mediâ itaque viâ, inter has duas sententias extreme inter se oppositas, incedendum, ostendendumque, etsi Christus determinationem prædestinationum reliquerit Patri, quod tamen hi potius electi sint quàm illi, in Christi humanam voluntatem esse refundendum. Dico itaque, Christum sua merita pro omnibus obtulisse, ita tamen, ut singularem complacentiam respectu quorundam circa eorum prædestinationem habuerit, quam complacentiam non habuit respectu aliorum. Quamvis ergo ipse absolute nullos designaverit, quod tamen facere potuisset, ut probant loca Scripturæ, supra num. 1. pro primâ sententiâ allata, sed designationem omnem in hoc prædestinationis negotio æterno Patri reliquerit, Pater tamen videns hanc voluntatis Christi propensionem, illos determinavit, erga quos peculiarem illius vidit complacentiam, sicque exauditus est pro sua reverentiâ; tum illâ, quæ ob summam dignitatem ac sanctitatem ei debebatur, tum etiam illâ, quam erga Patrem gerebat, omnia ejus voluntati permittendo. Et sicut perfectio obedientiæ in eo sita est, ut quis ad minimum signum voluntatis superioris obtemperet; ita perfectio amoris ac dilectionis, quam æternus Pater erga Filium habuit maximam, in hoc consistit, ut minimo desiderii ejus dato signo, rem quam cupit concedat, ut hic cum fecisse, mihi longè est probabilissimum. Quod multò adhuc est probabilius, si dicamus, Christum per scientiam conditionatam cognovisse, æternum Patrem eos determinaturum, erga quos ille peculiarem hanc complacentiam habuisset.

VII. *Ostenditur prædestinationem determinatam, Et Christo, & Patri esse tribuendam.*

Christus ex- auditus est pro sua reverentiâ; Ad Hebr. 5. v. 7.

VIII. *Quo modo Christus oraverit pro antiquis Patribus.*

Hoc modo etiam intelligitur, qua ratione Christus causa fuerit prædestinationis antiquis Patribus, qui Christum antecesserunt, gratiamque iis meruerunt, etiam primis parentibus, saltem reparatam. Licet ergo illi Christum tempore præcesserint, & per aliquam scientiam cognoverit ejus anima illos habuisse gratiam, & fuisse prædestinatos, potuit nihilominus habere alium actum, ratione vel naturâ scientiam illam antecedentem, quo homines illos repræsentaret, vel secundum se, & præcindendo à gratiâ, vel etiam ut possibiles, & ab hac cognitione directus orare pro iis potuit, ut gratiam reciperent, & habere etiam potuit complacentiam illam, de quâ diximus numero præcedenti: deinde ubi Deus ex hac Christi oratione dedit iis gratiam, & intuitu hujus complacentiæ eos prædestinaverit, potuit Christus per aliam scientiam, naturâ posteriorem, cognoscere eos habere gratiam, & esse prædestinatos. Quare non rectè P. Vasquez hic, Disp. 94. cap. 3. num. 21. dicit, licet Christus pro iis oraverit, & merita sua peculiariter illis applicuerit ut prædestinarentur, qui post eum vixerunt, nec orare tamen, nec merita applicare potuisse antiquis Patribus, & illis qui eum tempore præcesserunt.

Opinio P. Vasquez de merito Prædestinationis.

